

Quam deputacionem gratam et ratam habentes fidelitati [vestre stri]cte precipiendo mandamus volentes omnino, quatenus predictos tres census trium annorum antedictis Bohuslao et Nycolao dumtaxat [alicui al]teri homini seu persone cessante contradictione qualibet et presertim censum presentis anni statim visis presentibus dare solvere et expedire [debeat]is] hoc nullatenus obmissuri. Datum Prage IIII^{to} kalend. aprilis.

Nr. 7, 1348 März 30.

Bercze de Duba.

[Karolus etc.] quod attendentes multiplicia fidelitatis obsequia, quibus fidelis noster dilectus Hinko Berka de Duba nostre celsitudini hactenus [cum] sollicitudine complacuit et se poterit in futurum adauctis meritis indefesse probitatis ipsius continuo reddere gratiorem, sibi [offici]um castri Pragensis per byennium et officium ventionis vasorum in montibus Chutnis, quod vulgo schrotampt dicitur, per . . . terminos in litteris illustris Iohannis quondam Boemie regis genitoris nostri karissimi expressos cum omnibus pertinentiis iuribus [usibus] utilitatibus dominio condicionibus et graciis in litteris eiusdem genitoris nostri distincte et clarius expressatis damus conferimus [et] easdem genitoris nostri litteras de verbo ad verbum, prout superius scripte sunt, tenore presencium confirmantes promittimus etiam et spondemus [gratia speci]ali, quod, si infra predictum tempus prefatus Hinko fidelis noster ab hac vita decederet, extunc Henricum fratrem ipsius in [supradictis] officiis, in quibus succedet eidem, usque ad finem temporis antedicti gracie dimittere et firmiter conservare. Presencium etc. Datum [Prage] XIII kalend. aprilis.

Nr. 8, 1348 März 20.

Bercze de Duba.

[Karolus e]tc. Iohannes dux Karinthie etc. quod de universis et singulis debitis, in quibus dilecti nobis Hinko Berka de Duba purgra[vius Prag]ensis, Hinko et Henricus ipsius filii fideles nostri civibus Pragensibus vel iudeis ibidem usque in hodiernum diem quacumque [de] causa una cum fideiussoribus ipsorum fuerant obligati, ipsos absolvimus totaliter et complete decernentes universas litteras [debi]torum cuiuscumque tenoris existunt datam presencium precedentes casualiter ignoranter vel negligenter servatas, si que fortassis [pro]dirent, irritas cassas fore penitus et inanes et quod